



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

Exegesis Euangelij Matthæi XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

pterea sequitur. A rege iniquo, hoc est, à crudelitate Imperatorum, regum, principum & præfectorum, ne eorum formidarem minas, liberaſti me: aut à diabolo, qui rex est super omnes filios superbix: & à lingua iniuſta, quæ minabatur, inferri quæ tubebat innocentibus pœnas, ita me liberaſti, non ut non paterer, sed ut non solum patienter, sed desideranter etiã ac amanter, tui contẽplatione, paterer. Non autem nũc solum laudo, sed laudabit etiam vsque ad mortem anima mea Dominum. Maior enim est omni laude, sicut Eccli. 43. *Glorificate Dominum quantum unque poteritis: Super valebit adhuc. Benedicentes Dominum, exalate illum quantum potestis. Maior enim est omni laude. Et, exaltantes eum replemini virtute. Ne laboretis, non enim comprehendetis.* Itaque, *benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Psalmam Deo meo quamdiu fuero.* Laudabit vsque ad mortem anima mea Dominum: quoniam eruis sustinentes te, & lunganimiter auxilium expectantes misericordix tuæ: & liberas eos de omni angustia Domine Deus noster. Sufferentiam Iob audiuimus charissimi, & finem Domini vidimus per fidem & lectionem, sanctarum virginum martyrumq; celebramus memorias. *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt.* Nihil igitur restat, nisi ut nos quoque inter quæcunque aduersa expectemus Dominum, sperantes, ut nobis subueniat tanquam clementissimus Pater, & adiutor in tempore opportuno.

EXEGESIS EVANGELII IN FESTO D.

Barbara, aliarumque virginum & martyrum,
Matthæi XIII.

REst in festo sanctarum virginum hoc sequens legitur Euangelium, in quo narratur, quomodo pro amore temporalis thesauri, omnia viderent homines, ut agrum, in quo thesaurus temporalis absconditus iaceret, compararent. Quod sanctæ quoque virgines fecerunt. Nam caelestem thesaurum, hoc est regnum caeleste, aut sponsum caelestem, quomodo cūque hunc intelligas, à Deo concupierunt, ut pro illo obtinendo, quæcunque carni blandiuntur, quæcunque delectant, quæcunque sunt iucunda, & in hominum æstimatione mundanorum præciosa aut gloriosa, traderent, corpora quoque sua varijs exponerent pœnis, ut thesaurum sibi hunc caelestem compararent. Nam sanctæ virgines teneræque puellæ, quanto desiderio huius sponsi sui caelestis, quanto huius thesauri caelestis amore feruebant, quæ passæ sunt se cædi, exungulari, suspendi & (quod virginali pudicitix morte non inferius est) vestibus nudari, ac capitibus truncari, ut ad cupitum venirent thesaurum. Dicit igitur Euangelista Matthæus:

Simile est regnum celorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illus vadit, & vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum.

Per regnum celorum hic beatitudinem caelestem intelligimus, quæ assimilatur thesauro. Reuera enim hæc, thesaurus est incomparabilis. *Oculus enim non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus diligentibus se.* Thesaurum itaque caelestis regni vult dici, amorem:

b 4.

rem:

Eccli. 43.

Psalm. 33.
Psalm. 145.

Iacob. 5.

Virgines tenerarum desiderium quantum fuerit erga caelestem sponsum.

Regni celorum quid hoc loco significet.

Esaix 64.
1. Cor. 2.
Thesaurus quid hic significet.

- rem, quia vt thesaurus, debet desiderari, quæri, diligere & conseruari. Ibi enim sunt diuitiæ immarcescibiles, quæ non putrescunt, neque marcescunt, neque veterascunt. Theaurum hunc iubet nos Dominus thesaurizare in celo. Hic in celo sibi thesaurum constituit, qui omnia in Dei gloriam, quæ solum amat, facit: qui omnia in Dei destinat honorem, qui etiam tam voluptates quam voluntates suas sibi propter Dei beneplacitum, & propter cælestis regni bona, interdicit. *Theaurizate*, inquit Dominus, *vobis thesauros in celo: vbi fur non appropriat, vbi neque erugo consumit, neque tinea hunc demolitur: vt ibi sit quoque cor tuum, vbi fuerit thesaurus tuus.* Hic thesaurus tanto locupletius cumulatur, quo thesaurum operisq; terrenas abundatius in Dei honorẽ, & in sustentationes pauperum erogaueris. Hos præsentis thesauros, terrena puta omnia, propter Deum expendere, & pauperibus tribuere, & habebis non modo thesaurũ in celo, sed tuũ etiã erit regnum cælorum. Thesaurum hũc comparandum, hoc modo suadet Dominus dicens: *Vade & vende omnia quæ habes. & da pauperibus, & veni sequere me.* De hoc thesauro loquens beatissimus Gregorius, Thesaurus, inquit, cælestis est desiderium. Ager vero, in quo thesaurus absconditur, disciplina est cælestis studij. Quem profectò agrum venditis omnibus comparat, quisquis voluptatibus carnis renunciãns, cuncta sua terrena desideria per disciplinã cælestis custodiam calcat, vt nihil iam, quod carni blanditur, libeat, nihil quod carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescat. Inuenitur autẽ hic thesaurus per sacram eruditionem prædicationemq; Euangelij: absconditur autem, si quis hoc, quod fide credit, corde diligit, eius quẽ nunquam obliuiscitur. Diuus Gregorius iterum dicit: Inuentus thesaurus absconditur, vt seruetur: quia studium cælestis desiderij à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsentem enim vitam, quasi in viã sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi latruncululi obsident. Depredari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in via. Quod tamẽ ita intelligendum quoque est, (vt ibidem D. Gregorius plenius elucidat) non vt proximi nostri opera nostra bona non videant, quando Dominus dicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in celo est* (sed vt, quantum laudem nostram atinet, ea potius velimus abscondi, quàm prædicari. Hoc est, vt quantum in nobis est, malimus latere, & non agnosci: imo etiam contẽni, quam reputari, aut honorari: & per hoc quod agimus, externas laudes haudquam queramus. Sic autem sit opus in publico, vt intentio maneat in occulto, quo proximi nostri quidem ex operibus nostris, quæ vident, ædificentur: nos autem Dei solius gloriam quærentes, per studium humilitatis, vicium euadamus vanitatis. Ad hoc namque Christus hortatur alibi dicens: *Cum facis elemosinam nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Hoc est, adeo nihil gloriæ aut vanitatis vsurpes tibi de opere virtutis, vt intetio sinistra nesciat pervertere quod facit dextera iustitiæ. Potest etiam per agrum, sacra scriptura, aut conuersatio sancta ac virtuosa intelligi: in quo thesaurus siue cælestis regni amor desideriumve inuenitur. Hunc enim thesaurum vt obtineas necesse est vendere omnia quæ habes, & emere agrum illum. Oportet te, inquam, abnegare omnia, quæ priuato cupis diligere amore, quo cælestis

Matth. 6.

Lucæ 17.

Matth. 6.
Theſaurus
cæleſtis qui
hic obſcure
tur,
Matth. 19.
Marc. 10.
Lucæ 14.

Gregor.
Theſaurus
vt cæleſte fit
deſiderium.

Theſaurus
cæleſtis qui
inuenitur.
Gregorius.
Theſaurum
abscondi
quid ſit.

Matth. 5.

Matth. 6.

Ager myſti-
cè quid ſit.

caeleste desiderium in te introducat. Nisi enim te ipsum & omnia reliqueris, thesaurum hunc non possidebis. Vide, quia non dicit, illum emisse thesaurum, sed agrum in quo situs est thesaurus. Non enim sunt condignæ passionibus, quomodo nec labores sufficiunt nostri ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Sed emit, inquit agrum illum. Desiderijs enim carnalibus abnegatis, spiritualia caelestia succedunt: & mortificata carne, reflorescit spiritus. Itaque quantum à terrenis disungimur, tanto caelestibus donis, quibus felicitatis æternæ efficiamur digni, magis ditamur. Potest hic quoque virginibus sanctis applicari parabola hæc, ut sit thesaurus in agro, virginitas in carne. Est enim reuera nobilissimus thesaurus præclara virginitas, Angelorum foror & cognata quamuis speciosior, iuxta Ambrosium & Hieronymum, sit virginum victoria ac corona, quam Angelorū. Angeli enim sine carne viuunt, virgines verò in carne etiam triumphant. Narrantur autem hic tria de thesauro, virginitati congruentia, imo & necessaria. Refertur enim hic thesaurus inuentus, absconditus, & bonis alijs, quæ propter illum distrahuntur, seu venduntur, prælatas. Non potest autem thesaurus hic inueniri in luxuriosis, nec potest abscondi in superbis, ac inaniter gloriosis, nec præfertur bonis temporalibus in auaris. Quot enim superantur, ut nubant concupiscentia carnis? Quot puellas ad matrimonium, relicta virginitate, trahit superbia, ut maritos obtineant honoratos ac nobiles? Quot denique virginitatem contemnunt, temporalia amantes bona, si maritos sperant opulentos: Virginitas igitur, pudicitiaque casta, thesaurum nouit inuenire, humilitas hunc nouit abscondere. Paupertas, hoc est, paupertatis amor nouit thesaurum hunc bonis omnibus terrenis præferre. Hoc modo Barbara, Agnes, Agatha, Margaretha, aliaque virgines sanctæ thesaurū inuenerunt, absconderunt, & terrenis omnibus prætulerunt.

Iterum simile est regnum caelorum homini negociatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna præciosa margarita, abiit & vendidit omnia quæ habuit & emit eam.

Hic regnum accipitur caelorum pro militante Ecclesia, quasi diceret: Negocium agitur in Ecclesia, quasi negociatoris qui bonas margaritas requirit. Per negociatorem, quilibet homo Christianus intelligitur, qui uilia cuncta à se abdicat, puta caduca, transitoria, temporalia, terrena & carnalia: hæc dat, hoc est, Dei amore se illis priuat, ut virtutes, Dei dona, spiritualia æternaque à Deo munera recipiat. Videri enim illius, est terrena pro caelestibus commutare. Vna autem præciosior alijs margaritis, est paupertas spiritus, cui deest amor priuatus, superbia, inuidia, auaritia, propria voluntas, & huiusmodi. Pro hac obtinenda, multa sunt deserenda, atque abijcienda, quibus comparetur. Potest autem in festo virginum applicari ad virginitatem, quæ præciosissima est margarita. Pro cuius adoptione quoque ut ematur multa sunt eroganda, multis carendū, multa subtrahenda. Neque enim omnis virginitas, præciosissima hic margarita dicitur. Sūt enim virgines carne, sed non voluntate, quæ optarent maritos, aut quæ aliquando, si fortuna arriserit, meditantur nubere. Harum integritas non ad modum præferenda est, ut dici possit margarita. Neque enim virginitas à Deo coronatur, nisi ea quæ Dei seruatur amore. Quæ si Deo dicata fuerit, ut om-

Ager qui mystice comparatur. Rom. 1.

Virginitas in carne quatenus vocetur thesaurus in agro.

Ambros. Hieron.

Virginitati scilicet quæ non stolice à stultis præteratur.

Regnum caelorum significat hic ecclesiam militantem.

Negociator quisnam dicitur mystice.

Margarita uti signet spiritus paupertatem.

Virginitas carnis quæ dicitur præciosa margarita.

nis truncetur nubendi voluntas, & virginitatis placeat perseverantia, roboreturque sic permanendi propositum, vt arridētibz quibuscunq; mundi felicitatibus, aut conditionibus, nolit mulier à virginitatis proposito discedere: sed Christo tanquam sponso, innupta virgo permanere, iam virginitas dicitur preciosa margarita: quæ non ideo tantum placet Deo, quia virginitas, nec propterea solum aureola à Deo coronanda, quia seruata est: sed idcirco magis, quia Deo dicata est, cum proposito semper ita manendi, vt Ambrosius & Augustinus asserunt, & Dei amore seruata. Huiusmodi virgines fuerunt, hæc sancta martyr Barbara, aliaq; multæ, quæ spretis diuitijs, spretis honoribus, spretis denique nuptijs regum, cunctisq; mundi promissionibus, maluerunt Christo Domino desponsari, ac in virginitate viuere, mortemq; ac cruciatus maximos sustinere, quàm carnis pollutionibus, scædisq; delectationibus contaminari. Potest nihilominus in præciosa margarita intelligi æterna, increataque Dei sapientia Iesus Dei Filius Christus Dominus noster: cuius amore vendit omnia, quæ habet, hoc est, omnia contemnit, etiam seipsam, omnia, quomodo Paulus ait, arbitrans vt stercore, vt Christum lucrifaciat. Et hæc expositio iterum optime sanctis quadrat virginibus, quæ pro Christi abrenunciant amore, carni, mundo, cunctisq; desiderijs. Nisi enim renunciarent, non solum omnibus, quæ possident, sed etiã sibiipsis, quomodo præciosam illam vnam, cui nulla est alia æqualis, margaritam compararēt, aut quomodo pro Christo corpore consentirent occidi, si vicijs concupiscencijsq; malis non ante voluissent mori? Quid si per margaritam præciosam, beatitudinem aut regnum intelligimus cælorum, omnibus applicatur Christianis. Est autem adeo præciosa hæc margarita, vt nisi venditis omnibus, non possit emi. Tam vilis quoque, vt sola valeat bona voluntate comparari. Solent autem negotiatores, non pericula latronum formidare, non maris horrere tempestates, nõ famē, non sitim, laboremve vllum. Si enim illa fugerent, negotiari non possent. Et Christianus pro Dei amore, & pro æterna beatitudine nullum debet refugere, laborem, nullam recusare aduersitatem, non probrum, non contemptum laboremve, aut incommodum vllum. Huiusmodi fuit negotiator beatus Paulus, qui dixit: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus sum autem, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque potestates, neque instantia neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profunditas, neque creatura aliqua poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.*

Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua: malos autem foras miserunt.

Tertiam hic contexit parabolam, de sagenâ missâ in mare. Mare seculum intelligitur, in quo perinde ac in mari semper tēpestates, creberrimatq; pericula versantur. Piscatores autem qui sagenam in mare mittūt, sunt prædicatores sancti, qui sagenam prædicationis verbi Dei expandunt, & ad capiendos extrahendosq; de profundo maris, hoc est, seculi, pisces, id est, homines,

Aureola quâ
do virginitas
coronanda.

Ambrosius.
Augustin.

Sapientia
æterna Iesus
Christus vt
nominetur
margarita
præciosa.
Philip. 3.

Margaritam
præciosam si
gnare æternâ
beatitudinē.

Negotiari
probè quâ
debeat qui
uis Christianus
pro præciosa marga
rita.
Rom. 9.

Mare vii fig
nificat seculū
prensens.

Piscatores vt
sunt p̄x. dica
tores veri
tatis.

mines, diuini uerbi auditores mittunt. Est igitur, inquit, simile regnum calorum sagine missæ in mari. Regnum calorum, ut supra dixi, ecclesia militans dicitur. Hæc sagine prædicationis diuinæ expandit, qua pisces cuiuscunque generis, seu omne genus hominum, id est, tam bonos, quam malos in profundo seculi demersos, capit, ad litus ty perducit. Congregat enim hic tam electos quam non electos: sed ubi impleta fuerit sagina, pura circa mundi finem, tunc extrahetur, piscesque educet omnes ad litus, ut segregentur boni à malis. Itaque Ecclesia triumphans, quæ est in celo, solos recipit bonos. Porro Ecclesia militans, tam bonos, quam malos recipit: sed in fine discernens, diuidit. Siquidem bonos reponet in uasa sua, id est, in cælestes mansiones, malos in gehennam.

Sagina mystice quid sit.

Litus maris ut signet finem mundi.

Sic erit in consummatione seculi. Exhibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium.

Hoc idem alibi dicit: Cum sederit Filius hominis in sede maiestatis sue, congregabuntur ante eum omnes gentes: & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oves ab hædibus &c. Et alibi: Sinite utraq; id est, triticum cum zizania crescere usque ad messem. Et tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligatæ eas in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregatæ in horreum meum. Separatio namque erit electorum à reprobis, ut illi à dextris, hi à sinistris: & tunc illis qui à dextris sunt, dicturus est: Venite benedicti Patris mei, &c. His uero qui à sinistris erunt. Dicit: Ite maledicti in ignem æternum, &c. De similibus quoque hic dicitur: Exhibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Quamuis enim resurrectio mortuorum, retributio quæ æterna non fiat, nisi autoritate uirtutis diuinæ: multa tamen hic fient angelorum ministerio, qui sulcitantur cineres creduntur collecturi, ab impijs iustos segregaturi, prolataque sententia, ac terra os suum aperiente, reprobos inuoluturi, igneque conflagrationis in infernum præcipituri: ubi erit fletus & stridor dentium. Fletus quidē propter intolerabiles suppliciorum infernalium dolores: sed stridor dentium propter uehementissimum frigus. Erit enim in inferno ardentissimus incendij æstus, & uehementissimum frigus, ut de vno transeant in aliud, non per remissionem, aut defectionem alterius: sed de uehementissimo calore subito ad uehementissimum frigus, quomodo scriptum est. Ad nimum calorem transeat ab aquis nimum. Hæc audientes filij cogitate modo, quamdiu estis in itinere, quid uobis euenturum sit in termino uia: hoc est, in fine uitæ uestræ. Modo laborate, modo sudate, & contendite per angustam portam intrare, ne infructuose uobis contingat serdè pœnitere, nimum ardere, sere ac stridere dentibus.

Matth. 25.

Matth. 13.

Separatio electorum à reprobis quæ fiet.

Matth. 25.

ibidem.

Angelorum ministerium in extremo iudicio cuius modi erit.

Fletus, stridorque dentium quomodo intelligatur.

Iob. 4.

Matth. 7.

Lucæ 13.

Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno calorum, similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua & uetera.

Postquã parabolam has dixerat Dñs, interrogauit Apostolos, an omnia, quæ dixerat, intellexissent, nō nesciens quid intellexissent, aut nō intellexissent.

Scribz docti
& notarij
Christi vti fu-
erint Apolto-
ri sancti.

sent: sed occasione quarés, ad eorū verba inferendi, ea, quæ sequuntur. Nam cum se intellexisse hæc omnia responderent. Ideo, inquit, dico vobis, quod omnis Scriba doctus in regno cælorum, similis, &c. Apóstolos, Scribas & doctos, vtpote Christi (vt ita dicam) notarios vocat, qui legem Dei in mentibus audientium scribebant, quos similes vult esse homini patrifamilias, qui suæ familiæ de thesauro suo profert & noua & vetera, hoc est, pecunias, vasa, vestes, cæteratq; id genus, quæ curare habet, producit, iuxta exigentiam cuiuscunq; consolandi aut fouendi. Ita prædicator aut Apóstolus quoque de thesauro sacrarum scripturarum quicquid nouerit, vtile fore, aut congruum, proferre debet, siue id fuerit ex veteri testamento, siue ex nouo. Quomodo enim paterfamilias omnia in refectionem, & consolationem & in vtilitatem suæ ordinat familiæ, ita prædicator, apóstolusve non ignorare debet, quid Christi conueniat familiæ, vnde regatur, & quibus sustentetur: ideoque ad manum sunt ei necessaria, vt habeat promptam vtramque scripturam, notitiamq; tam veteris, quam noui testamenti, vnde queat producere, ea quæ hominibus docendis sint vtilia de Christo Iesu Domino nostro, qui est benedictus in secula, Amén.

SERMO IN EODEM FESTO.

*Quibus extollenda sit diua sponsa Christi Barbara encomijs,
quomodo ve sancti pro sibi deuotis iudicem
interpellent.*

In conuersio-
ne diuæ Bar-
baræ quam
fuerit admi-
rabilis Deus
& laudandus.

Genes. 17.
Sapient. 11.

Laudabit vsque ad mortem anima mea Dominum: quoniam eruis sustinentes te, & liberas eos de omni angustia Domine Deus noster. Ecclesiastici LI. Hæc verba fratres & filij charissimi, optime in Christi sponsam quadrant sanctam Barbaram: quando quidem mira Dei beneficia ipsa in conuersione, in vita, in passione denique & in morte sua experta est. Quæ omnia (quia nihil sibi eorum vsurpauit, in laudem suam nihil arrogauit, nihil tribuit sibi: in Deum verò reculit omnia) illius esse dona, nihilq; sibi suum, perfectissima humilitate cognoscens, propterea dixit. Laudabit vsque ad mortem anima mea Dominum, & cætera. In conuersione namque illius quis Dei bonitatem dignè collaudet, qui absque hominis eruditione illam præueniens, illuminauit adeo, vt naturali quoque lumine simulachrorum, Deorum quæ multiformium deprehenderet vanitatem: Adeo namque rationis lumen in ea præualuit, vt ea, quæ facta sunt, quæ instituta sunt, quæ aliquando non fuerunt, vtiliora crederet esse ijs, qui cultum, venerationem quæ illis instituerunt. Quamobrem eos quoque deos qui ab hominibus colebantur (quando quidem homines olim fuere) iudicabat prorsus nihil posse numinis habere, sed necessarium fore, vt aliqua virtus sit omnipotens, omnia sciens, omnia creans ac regens, infinita, sine tempore, numero & mensura, quæ ante omnia sempiterna ac indeficiens fuerit, à qua omnia reliqua, quæ habent esse, incepterint, quæ iustius diuinitatis & rei & nomen habeat quam ea, quorum nomen ac honor (sine virtute) ex aliorum pendet voluntate & institutione. Pro hac itaque sui illuminatione laudat te Iesu bone sancta Barbara puella sapientissima, qua deorum tum vanitatem, tum stultitiam deprehendens, illos respuit, & in tui desiderium amoremq; (licet nondum te perficere